

**Disputatio medica de marasmo ... / proponit Michael Lyserus ...  
respondente F. Ortlob.**

**Contributors**

Ortlob, Friedrich.  
Lyser, Michael, 1626-1659.  
Universität Leipzig (1409-1953)

**Publication/Creation**

Leipzig : J. Bauer, 1656.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/spcfbrs6>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISPUTATIO MEDICA

35

De

# MARASMO

*Quam*

Indultu Amplissimæ Facultatis  
Medicæ

PRO LOCO

*In eadem obtinendo*

*proponit*

MICHAEL LYSERUS

Philos. & Med.D.

*Respondente à meridie*

FRIDERICO Ortlob/  
OLSNENSI.

*In Acroaterio Collegij Principum Majoris  
Prid. Cal. Mart.*

---

LIPSIÆ

*Excudebat Johannes Bauerus.*

M DC LVI.

*Jl Lumb*



SERENISSIMI AC POTEN-  
TISSIMI

DN. ELECTORIS  
SAXONIÆ

DN. NOSTRI CLEMENTISSIMI

IN PROTOSYNEDRIO  
ECCLESIASTICO

DN. PRÆSIDI.  
GENEROSO AC MAGNIFICO

V I R O

PROSAPIA NOBILISSIMA  
VIRTUTE INCOMPARABILI  
PRUDENTIA ADMIRANDA  
SCIENTIA INEXHAUSTA

CORUSCANTI  
RADIANTI  
EXCELLENTI  
REFULGENTI.



NEC NON  
EMINENTISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS  
EJUSDEM SENATUS

DNN. CONSILIARIIS

VIRIS

PLURIMUM REVERENDA DIGNITATE  
MAGNIFICA AUTORITATE  
ERUDITIONE SINGULARI  
CONSILIIS SALUTARIBUS

PRÆCLARISSIMIS  
AMPLISSIMIS  
CELEBERRIMIS  
FAMIGERATISSIMIS

ECCLESIAE PROCERIBUS  
REIPUBLICAE COLUMNIS  
MV SARVM NVTRITIIS



PATRONIS SVMMIS  
FAVTOBIBVS OPTVMIS  
EVERGETIS BENIGNIS  
PROMOTORIBVS MAXVMIS

IN FANO

AUGUSTÆ MNEMOSYNES

AD ARAM

ÆTERNÆ VENERATIONIS  
IMMORTALIS OBSEQVII  
CULTVSQVE NUNQVAM INTERMORITURI

EXIGUUM HOC  
DEVOTI PECTORIS  
MONUMENTUM  
LUBENS MERITOQVE  
ERIGIT

MICHAEL LYSERUS PH. ET MED. D.





C. A. N.

## PRÆLOQUIUM.



*Quamvis naturalissimum sit hominibus cunctis, inevitabilia morti persolvere debita, attamen haudquaquam omnes, imò paucissimi ac vix centesimus naturali morte defungitur. Hinc rectissime olim Poeta cecinit:*

*Omnibus est eadem lethi via; non tamen unus*

*Est vitæ cunctis exitiique; modus.*

*Non obscure sanè id deprehendunt, qui sanandis agris operam condicunt suam: quot illorum in ætate tenerâ ac infantiâ, quot in ætate vegetâ & juventute, quot in crudâ senectâ, paucissimos certè in decrepitâ truculentæ mortis occumbere telis sentiunt? Horum autem alij caloribus torquentur, alij frigoribus obrigescent, squalore torrentur alij; alij humore obruuntur, alij venenis trucidantur; multi ferro confossi purpuream evomunt animam: alij, quos mitior fortuna respexit, ante senectutem senum more exucci debilem tandem expirant animulam, ac ita paulatim, ut Alexis decrepitus agebat, moriuntur. De hoc ultimo genere morbi senio ex morbo, Marasimum quod vulgò appellant, in præsentî dissertatione nobis sermo erit: hoc ut faustè succedat, adjuvet Jovæ propitius.*



## THESIS I.

*Marasmi* vocabulum diversos Autores evolventibus dum occurrit, non semper eandem significare rem, ne in mente Autorum assequenda fallamur, præsciendum utique est. Germanus noster Hippocrates *Sennertus* in *Instit.* per *Marasum* haud quidquam aliud intelligit, quam lentum morbi progressum, dum ad mortem deducitur æger. Duplex enim cum morbi sit mutatio, vel subita vel tarda, & utraq; vel ad salutem, vel ad mortem: *quæ ad mortem paulatim fit morbi conversio Marasmus nominatur* modò laudatus inquit *Sennertus*: quæ tamen acceptio vocis cum ejus Etymologiâ non consentit, quod exemplo infarcti hepatis in hydropem immedicabilem desinentis verificatur.

2. *Marasmi* deinde nomine, non quidem propriè, sed analogicè secundum *Sebiz.* *Seneſtus* veniet, dicente *Tralliano*: καὶ τὸ γῆρας μάρασμός ἐστιν ἐπὶ τῷ φύσιν, eamq; *Stagirita* μάρανσιν appellat, cum corpus naturali humiditate orbem emaciatur & exiccatur. Atque hæc vis *Graja* vocis est, deductæ sc. ἀπὸ τῆς μαραίνεσθαι, quod propriè viventibus competere, metaphoricè autem & aliis, velut igni, attribui *Galenus* l. de mar. dicitat. Idem colligitur ex *Hipp.* l. de nat. hom. qui τὸ αὐξάνω μὲν σώματι opponit, ὅταν ἀρχεται μαραίνεσθαι κατὰ πρῶτον πρὸς ὀπίσθιν, quod *Foesius* vertit cum declinante ætate marcescere incipit.

3. Ab hac significatione denominationem suam desumpsit *Philippus* Medicus, qui citante *Galeno*, corporis heclico morbo confecti ac summè extenuati ariditatem *Marasum* s. *Senium ex morbo* appellat, de eoq; librum composuit. Quem sequitur *Galenus*, cum libro proprio cujus inscriptio de *Marasmo* tum 7. & 10. *Meth. Med.* eumq; si altas in corde egerit radices insanabile statuit; quamvis & ibidem latius non nihil accipiat & se juvenem, qui ita, intellige *Marasmo*, laborabat, sanasse scribat, ut annos aliquot supervixerit. Quæ etiam genuina in foro Medico vocis acceptio est, ut præter *Galenum* patet ex *Avicenna*, *Isaaco*, *Tralliano*, *Ætio*, *Areteo Cappadoce* aliisque.



4. Hic à *Tralliano* quando consummatus est, cum addi-  
tamento appellatur ὁ τῷ ὄντι μάρμας: incipientem e-  
nim λεπρότητα ἢ ἀτροφίαν nominat: aliàs apud varios Auto-  
res varia etiam sortitur nomina. *Hipp.* Φθίσιν appellat l. 2. de  
morb. de internis affect. d. Gland. in l. Epid. & sexcentis aliis  
in locis ac de nat. hom. quod ante μαρμαίνεσθαι dixerat, cùm ea-  
dem verba repetit, per Φθίσειν effert. quamvis *Jacotius* Veteres  
& *Hippocratem* Φθίσιν pro exulceratione pulmonis solum ha-  
buisse contendat: tamen ex jam citatis locis contrarium elu-  
cescit, & *Autor finitionum Medicarum*, quæ *Galeno* adscribuntur,  
Φθίσιν à Græcis communiter dictam omnem corporis colli-  
quationem & extenuationem significare asserit, quin & *Areteus*  
ξύπτετῆκότας πυρετοῖσι χρονοῖσι non improprie Φθισινὸς no-  
minari dicit. Alio nomine *Hipp.* 6. Epid. s. 7. marasmo affe-  
ctos ξυμπεπλωκότες nuncupat, qui exhausto humore resiccati  
sunt, reddit *Foesius*. *Avicennas* βελτικὰν σενεκτῆτιν nominat.

5. Latini scriptores *Marcoris* nomine eum insigniunt,  
quod Græcā vocem optimè explicat, quia deficiente benigno  
nutrimenti succo ac fomentante calore marcidum flaccidum  
que corpus redditur, quæ vox *Galeni* interpretibus placuit 4. de  
caus. puls. & 1. de pres. ex puls. pariterq; *Sennerto*, qui *Marcorem*  
dicit esse corporis præ siccitate & alimenti defectu contabescen-  
tiam. l. 2. Inst. Non autem talis *Marcor* intelligendus, quem  
*Zacch.* l. 2. quæst. Medico Leg. q. 13. cum torpore & Caro pro Sy-  
nonymo habet, cui affinis est *Marcor* ille, de quo apud *Galenum*  
4. de sanit. tuend. quem Græcè κῶμα dici asserit, & cum somno  
longiore eundem facit, eandemq; utriusque causam assignat, quæ  
tamē acceptio vocabuli insveta aliàs est in acroateriis medicis.

6. *Tabem* vocat *latinus Hippocrates* l. 3. c. 22. ejusque tres con-  
stituit species: Atrophiam, Cachexiam, & Phthisin; quarum  
media è numero reliquarum eliminanda aliquibus videtur,  
quod sæpius intumescencia, quam concidentia corporis ipsam  
comitetur. *Tabidos Galeni interpres comm.* in 3. aph. 10. dicit,  
non solum Φθόν laborantes, sed & omnes quacunq; de causâ  
colliquefactos & macilentos, & communiter omnem extenua-  
tionem corporis, undecunq; proveniat, *Tabem* dici sustinet *Hol-*



*levius Comm.* in l. 6. *Coac.* f. 2. t. 13. *Sept. Comm.* in l. *Hipp. de Aer. aq. & loc.* *Macies* etiam nominandus *Marasmus*, sed cum addito *morbosa*, quia & sana corpora macilenta sunt interdum; sed idcirco in *Marasum* tantò procliviora. Nec immerito *siccatorius morbus* ἀραιότη Græcis audiret, nisi obstaret *Hippocratis* autoritas, qui l. 2. de *morb.* *cholera* siccam tali donat titulo: Sed & l. de *intern. aff.* ἀραινεῖται τὸ σῶμα διὰ λαγνείης scribit, quod in *Tabe* dorsali evenire statuit l. 2. de *morbis*.

7. Dicimus autem *Marasum* esse partium corporis insignem concidentiam, à caloris nativi humidique earundem & præcipuè in corde consumptione provenientem.

8. Descriptio affectus nostri, quam hic damus, nata est ex *Trallianiana*, qui *Marasum* consummatum ita finit: τῷ ὄντι μάρασμῳ & διπολεία τις παντελής τῆς ἐν τοῖς σερείοις ὑγρότητι & ἀνιάτῳ ὅτι, qualem & *Jacotius* proponit: *Marasmus* est, in quo cum calore nativum humidum solidarum partium consumitur. Dicitur autem *Concidentia corporis*, quod in eo partes corporis in se concidant & minores fiant: unde eleganter *Arist.* 3. *hist. anim.* Cum animalia emaciantur, venæ fiunt venulae, & nervi fiunt villi. Εὐμπύωσις, quam alibi venarum exinanitioni tribuit, nominat *Hippocrates* l. de *hum.* quod carnosæ ac musculosæ partes subsideant, & cum antea turgerent, jam extenuentur, corrugentur & exuccæ flaccescant. Quare hic affectus secundum *Gal.* 9. de *diff. morb.* *Heurnium*, *Epiph.* *Ferd.* morbis immutæ magnitudinis accensendus, quia debita deficit magnitudo ad actiones partium exercendas necessaria: quâ ratione & *Celeb. Sennertus* ἀτρεσφία, gradu saltem à *Marasmo* distinctam, ad idem genus morbi refert, quamvis & alibi inter symptomata facultatis naturalis recenseat, quoniam, uti inquit *Heurn.* *Macilentia*, dum nondum officit actionibus corporis, symptoma est: Potest autem in censum morborum venire, cum ingravescent eo pervenit, ut actioni corporis officiat. Nos autem *Marasum* consideramus ὅφ' ἔνεργεία βλάπτεται, prout corpus, cui inhæret, ad actiones obeundas ineptum reddit, quæ Morbi recepta est defi-



definitio. Idcirco etiam dicitur *Insignis concidentia*, ne quælibet leviuscula extenuatio, actionibus nondum efficiens, pro Marasmo illico venditetur.

9. Verum multipliciter actiones corporis lædit Marcor: vel quod iusto minores fiunt, & in conformatione concinnæ & magnitudine proportionatæ peccent partes: vel quod sicciores evadant; unde sub hac contemplatione morbis intemperiei adscribitur, quod faciunt, qui ex *Avicenna Hecticam aldubul* s. summi gradus cum Marasmo torrido pro convertibilibus agnoscunt. Hinc & *Epiph. Ferdin. Morbum tabificum* s. Phthisin vulgò dictam, in triplici morborum genere constitutum scribit: *malâ intemperie, solutâ unitate, & imminutâ magnitudine*. Diversus enim considerandi modus, diversa morbi capita Marasmo assignat. Tamen Morbum nos esse statuimus, quia hoc ejus vitium maximè est conspicuum, & potissimû in sensus incurrit, non tamen alterum excludimus, quod ipsi indissolubili nexu copulatur.

10. Oritur hæc corporis concidentia à caloris innati humidique in principe corporis parte consumptione, s. ob dissipationem illa eveniat, s. ob suffocationem, sive ob aliam causam: de quibus paulò post erit dispiciendum.

11. Differentiæ Marasmi quæ jam expendendæ tres præcipuè nobis occurrunt: *Ratione temporis* alius est *Incipiens*, qui adhuc est in fieri, quemque *Trallianum ἀτεγείαν & λεπρότητα* nominare suprâ diximus: alius *Consummatus*, qui summum perfectionis suæ gradum attigit; Hæc differentia, quidem saltem majoris & minoris ratione est, attamen in prognosi & curatione instituendâ præclarum habet usum, quòd ille curationem admittat, hic verò prorsus respuat.

12. Deinde Marasmus *ratione subjecti* est vel *Universalis*, qui totum corpus omnesque partes obsidet, ac phthisi speciatim dictæ & perfectæ semper sociatur, quando totum corpus exiccatum torridum macrumque adeò redditur, ut extra viventis ad Solem inspicere liceat, ceu *Comicus* macie confectum describit: talem phthisicum emacratum in Illustri Leucoreâ vidimus, qui post obitum dissectus, vix scalpella cruore tingebat: vel *Parti-*



cularis, qui membrum quoddam separatim occupat, uti is, de quo sacer codex ἐξ ηγεμυρῶν ἔχων τὴν χεῖρα: vel is, cuius meminit *Forest. l. 10. observ.* sed hunc brevitatem amantes studio in nostrâ disputatione sicco pede præterimus.

13. *Respectu causarum*, prout vel calefaciendo vel refrigerando Marcorem inducunt, denominatur alius *Calidus*, quem ingeniosissimus *Durētus* è *Philippo* περὶ πυρῆς, *Galenus* πυρετὸν μαρμαρῶδη appellat, & ardentes corporis affectiones insequitur; quales sunt *Causones*, *Febresq;* omnes hecticæ aut colliqvativæ: alius *Frigidus*, qui debilitato à causis nimis refrigerantibus calore suboritur, corpusq; sensim tabefacit; Seu potius, cuius siccitati frigiditas conjungitur, veluti caliditas in altero; unde *compositus Galeni Marasmus* nascitur: si enim solius siccitatis excessus fuerit, simplicem esse *Marasum* arbitrat, quod tamen non placet *Rabbi Moysi* existimanti, non consistere posse siccitatem solam absque excessu alterius qualitatis, cui & *Mercurialis* suum tribuit assensum.

14. *Frigidum Marasum* Autores porrò dividunt in *naturalem* & *adventitium*. *Naturalis* est, quando corpus procedente & declinante ætate secundum naturam exiccatur & attenuatur. Calorem enim corporis nostri flammulæ instar (quam similitudinem tamen redarguere conatur *Galenus*) nunquam otiosus continuò humidum, in quo residet, depascitur, in cuius locū aliud non ita bonum succedit, unde benigno illo succo exhaustæ partes marcescunt, *Marasumq;* naturalem, scilicet, nisi proprium mortisq; prænuncium, accersunt. Sed quia hæc inevitabili fati necessitate mortalibus cunctis obveniunt, Medicus, ea ut curet, non curat, nisi fortè maturius obrepentem Marcorem retardare conetur. *Adventitius* vero is est, qui non decrepitos senes, sed juvenes ac ætate consistentes, à causâ aliquâ morbificâ oriundus, invadit & *Senij ex Morbo*, vel *Philippi Senij* nomen acquirit, quod nostræ est considerationis. Hujus igitur origines paulò altius repetamus, causasq; illius studiosius rimemur.

15. Verba hæc in definitione tradita, à *caloris innati humidiq;* in partibus & præcipuè in corde consumptione, omnem causa-

rum



rum seriem uno intuitu exhibent. *Quicquid enim efficit, ut calor auctus alimentum sibi praripiat, & ita seipsum ante id tempus, quod secundum naturam attingere poterat, consumat, μαρasmus invehit, solidè scribet Erasius.* Primaria e. & præcipua causa est Cordis calidi humidique jactura: Continens autem ejusdem in partibus absumptio. Hinc Cl. *Conringius* marasum fieri docet, quia calor, quem accipiunt partes, siccus est nimium nec multo humido emollitur. Perdoctè *Gal. l. de mar: Si corporis totius affectus tabes, affici animal sine Principis passione nequit. Propterea tabidis siccari cor oportet:* atque hinc Marasum Corruptionem, ex siccitate appellat. Etenim Cor fons est calidi & humidique, in quo animalis vita consistit, & sanguinem, si non conficere, tamen perficere, cunctisque partibus per arteriosos canales distribuere debet. *Hi fontes igitur ubi resiccati fuerint, moritur homo,* ait *Hippocrates,* Non enim subministratur ὑπεκκαύματα corpori reficiendo & ita necessario resiccatur, nisi commodà humectatione temporius ipsi subveniat, quod proxima causa rationem sustinet. Hujus autem causæ in Corde hærent affecto, vel per πρῶτον πάθειαν, si affectus aliquis gravior nobile hoc viscus affligat, vel per δεύτερον πάθειαν, si alibi in corpore labes sit, quæ cordis robur, subtracto necessario alimento, vel pravo subministrato, infringat. Cordis igitur latebras primum excutiemus propositam ac principalem causam indagaturi.

16. Gravem affectum Cor perpeti non posse communis ferè omnium *Aristotelis* suffragantium est sententia, quam examinat *Cass. Barth. in Controv. Anat.* nec undique experientia respondere docet. Siquidem intemperies magnæ Cor sæpenu-mero diutissimè affligunt, ac tantum non exedunt, eaque sunt, quæ nimium perseverantes in Marasum hominem præcipitant: cum quævis intemperatura non brevi cessans apta sit evertendo nativo calori, quo valde debilitato, senium ex morbo inducitur, lentoque gressu ad mortem deducitur homo.

17. Calida intemperies duplici modo vitali principio infesta est. 1. Humores in sanguine adurendo, unde copiosus bilis proventus: Dulcia enim velut sanguis acriori calore excocta amarescunt juxta *Galenum*, Amarum autem biliosum, ut  
inquit



inquit *Hippocrates*, quod calorem nostrum corrumpit, & humores fundit, idq; contingit in febribus colliqvativis, Causo & aliis: Calescente enim corpore humiditas maximè eliqvatur, inquit *Hipp. l. de morb.* ac inde oritur Marasmus torridus, quem tandem excipit frigidus. 2. Calorem insitum ob nimium fervorem dissipando, ad mentem *Epiph. Ferd.* Dum enim in humidum partium debacchatur calor nocivus, radicali etiam humore gravia infert damna, in quo cum hæreat calor insitus, eo pereunte, hic quoque subsistere nequit: imò & tota substantia cordis ab immoderato calore absumi potest, si fidem tribuere velimus *Telefio. 5. Rerum natur. & Zacut. Lus. obs. 142.*

18. Duo hic statuit Marasmi gradus, ab hac causâ prodeûtes, *Mercurialis quando scil. vel nondum ex toto absunta est humiditas, vel tota est dissipata, ita ut concidant vires.* At si rem accuratiùs ad veritatis normam expendamus, posterior gradus neq; torridus neqve syncoposus, ut ex *Galeno* eum nominat, Marasmus dicendus, sed Mors ipsa. Nam si ex toto consumpta est humiditas primogenia, quibus carceribus conclusus fuit natus calor, ne simul in auras abiret? Subjectum ejus est, in quo residet, nec ab eo absq; discrimine vitæ unquam separatur. Meliùs longè *Sennertus, Ætate*, inquit, *procedente paulatim pabulum illud caloris humidum radicale absumitur & exiccatur, ita ut tandem humido planè absunto, ipse etiam calor, cum quo se sustentet non habeat, extingvatur & Mors naturalis sequatur.* quod si corpore secundum naturam constituto, calor superesse absunto humido nequit, quomodo id possibile in corpore ægritudinibus emaciato?

19. Frigida cordis intemperies omnes ejus actiones vitiat, caloremq; obtundit ac suffocat, unde immediatè & per se, ut loquitur *Forestus*, nascitur Marasmus frigidus, Hectica senectutis *Avicenna*, cum in Cor temperamentum senum ante senectutem introducatur; eoq; faciliùs, si siccitas, senibus propria, adjungatur: unde Melancholici, quorum talis est temperies, pròprios in hunc affectum aliis, *Forest. l. 4. Obs.* eosq; vix senectutè attingere observam⁹. De *Siccatis* excessu, quod inde sequatur Marcor, res clara est, redditur enim Cor minus aptum ad motum



motum & ea propter minus potest sanguinem adducere vel expellere, unde defectus sanguinis in corde & nativi ejus ignis extinctio per *μάρτυριον*, ac per sequelam etiam in partibus, quod calor, quem accipiunt, siccus nimium sit nec multo humido emolliatur, uti è *Conring. de Cal. inn.* modò allegavimus.

20. Marasmus porro oritur à venenatis & occultâ potentiâ operantibus caloremq; nativum Cordis infestantibus ac pessundantibus causis, quas per *vapores malos* expressisse puto *Avicennam*. Comprobant id, qui amatoriorum poculorum vim experti, & præter dira alia symptomata marasum pariter perpeSSI sunt. In Barone Bohemo Bononiis operam literis navante annotavit *Scholzius*, quod Philtro accepto contabuerit totus, ac tandem mortuus sit. Malignitas huc jure merite refertur. Proprium enim est maligni & pestilentis caloris, inquit *Schol. Thevarti in Epid. Ball.* ut urat, corrumpat & liquefaciat corpus. Id experientia didicimus his temporibus, in quibus sæviit in vulgus febris purpurata, nam qui evaserunt, *ferè omnes tabuerunt, nec desit febris, donec corpus quasi exhaustum, aridum & squalidum redditum fuerit, sicq; remansit sola corporis σπινθηρ, solus σκελετός.* Hippocrates etiam in pestilenti illa constitutione, de qua 3. *Epid. s. 3.* agit, *maximè & gravissimè tabem afflixisse & plurimos interemisse* narrat.

21. In Corde deniq; alij morbi si hæreant, sive vulnera fuerint s. ulcera seu tumores, nisi repentinam mortem inferant, ut *ap. Poter. Cent. 3. obs. 59.* Marcorem producant, calorem ejus sensim imminuendo. In apertis cadaveribus fuisse aliquoties reperta in corde *apostemata* frigida, quæ sensim tabem invexerint, testatur *Joubertus*. Et nos in canis pellucidi instar laternæ punicæ, ut *Comici* verbis utar, Corde *glandem* plumbeam exilem vidimus, quæ canem non occiderat, sed ad maciem deduxerat.

22. Ad intemperies Cordis generandas immediatè faciunt ex rebus *non naturalibus* præcipuè Aer & Affectus animi, de quibus hic agendū, reliquæ alibi tractandæ, *Aëris Effectus*, quia sine attractione ejus ne momento quidem, dicente *Arist. de respir.* vivere possumus, singulis momentis percipit Cor nostrum, quod foetidi vapores, syncopen sæpè inducentes, testatum faciunt;



eiunt ; per pulmones enim ad cordis sinistrum pergit ventriculum, & sanguinem subtiliorem reddendo spirituum elaborationem juxta *Sennertum* aliosq; promovet: sed qui excessus illius ad Marasmi productionem commodiores sint, è constitutionibus anni temporum venatur *Hipp. & 3. aph. 16.* proponit, inqviens: *ἐν τοῖσι ἀνθυμοῖσι Φθινώδεις.* Squalidus enim aër, pulmones ac Cor inflamat, & nisi confestim restringatur incendium, torret ac marcore consumit. *Zacut. Obs. 142.* Hinc ut *Petrus à Cost. de nat. novi orbis* refert, gravissima experiuntur accidentia ac sæpiùs, veluti igne tosti, moriuntur, qui *Periacaccam* novi orbis excelsissimum montè conscendunt, quod aër subtilissimus & præcalidus humidis exhalationibus destituatur.

23. Animi affectus vehementer cor afficere fidè faciunt, qui ex nimio gaudio derepente mortui conciderunt. Exempla habentur in *Val. Max.* memor. aliisq; Autoribus: Præcipuè hic valent, Mœror, Invidia ac Iracundia. In *Mœrore* quidem s. tristitia, ut pereleganter scribit *Ren. des Cart.* vincula sentiuntur circa Cor, & stirax, quæ illud congelant, & suam frigiditatem reliquo communicant corpori, unde non dubium, durante tali affectu Marcorem secuturum esse, quod querebatur ille apud *Comicum*:

*Ego qui tuo mœrore maceror, macesco & tabesco miser.*

ac Cor exedere mœrorem nimium, *Pythagoras* quoque non ignoravit, & exemplo suo comprobavit *Casimirus* Marchio Brandeburgicus, cujus mœrore confecti Cor pyri tosti instar, repertum esse, recenset *Melanchth. l. de An.* Marcorem autem inde nasci docet *Gal. l. de præc. ad Posth.* & mœroris causa sublata sanari. *Invidia* vires *Horatius* bellè expressit, inqviens:

*Invidus alterius marcescit rebus opimis.*

Talesq; ex macie agnosci putat *Ovidius* de Invido scribens:

*Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.*

Exerit autem vires suas perinde ac Tristitia, ex quâ & odio mixtus est affectus, ut rectè censet *Cartesius.* *Iracundia* sanguinem omnem exagitat, qui inde incalescit, hic calor Cordi communicatur, illique præprimis noxius evadit, atq; noxa toti corpori communicatur: unde tremores excandescientium proveniunt, ac nonnunquã epilepticæ convulsiones, imò mors ipsa notante

*Zacut.*



*Zacut. Obs. 147.* quā horarum duarum spatio sustulisse ægro-  
tum vidit *Ant. van der Linden.*

24. Hactenus enumerati in Corde residentes affectus  
proximarum causarum rationem habent; cur sanguis in cor-  
pus non diditur atq; necessaria alitura perficitur: secundariò  
autem ac remotè eæ quoque concurrunt causæ, quæ cordi ali-  
mentum (sanguinem sc.) subtrahunt, quod non sine plurimā  
vexatione partium, quibus digestio celebratur, ut *Aureliani* ver-  
bis utar, accidere potest.

25. Per *Ἀρεγγραθία* igitur Cor afficitur, ejusq; calidum in-  
natum labefactatur, si debitum ei *ὑπερκαυμα*, ut *Hippocrates*  
appellat, sanguis videl. probus & restorationi partium ido-  
neus surripitur. Rectissimè idcirco *Solenander*: *Si modicum*  
*vel nihil sanguinis boni generatur, macies & ἀρεγγρία in toto cor-*  
*pore nascitur.* Et sanguinis defectum materialem Marasmi  
causam tradit *Montanus*. Deficit autem sanguis bonus, vel quia  
non generatur, vel pravus gignitur, vel genitus absumitur.  
Tres ideo causæ adducendæ erunt, quas ordine, prout à primā  
cibi assumptione ad perfectionem usq; sanguinis se subsequun-  
tur, exponemus.

26. Ut sanguis conficiatur in corpore, tam causā efficiente, quā  
materiā ex quā, opus est ad nobile hoc ac tantoperè necessarium  
opus exequendum. *Efficiens* Principale, ut omnium naturalium  
actionum, ita & hujus, anima est suis facultatibus instructa,  
quæ non mutatur, juxta *Sennertum*, attamen diversimode ope-  
ratur, prout instrumenta iisque inserviens calor tam ingrus,  
quā à fonte caloris influens, ministraverint. Quoad materiam,  
omnes unanimi Consensu adstipulantur *Avicenna* dicenti: *Ma-*  
*teriam sanguinis esse id, quod in nutrientibus temperatum & in poti-*  
*bis bonum;* ubi nutrientium nomine cibaria venire manifestum  
est: Hæc igitur convenienti copiā assumenda, sin minus, conta-  
bescit corpus & marcescit. Si enim, uti verè pronuntiat *Avi-*  
*cennas*, *Cibi actio est augere augenda, & restaurare omne deperditū ex*  
*dissolutione corporis & ad pristinum statum deducere,* illo deficiente,  
quid instaurabit deperditum? quid refarciet id, quod continuā  
exhalatione, (quæ ex observatione *Sanctorij* in staticā crasso-



rum ac visibilium excretionem sextuplo copiosior), corpori decessit? Sanè absq; dubio Marcor imminet! Suo id testantur exemplo, qui diuturnâ abstinentiâ, sive studio ob fingendam sanctimoniam, sive ex naturali aversione, confecti, tabidi tandem vitam finire. Talem vidimus, cum in praxi Veronæ famigeratissimum Medicum *Petrum à Castro* comitaremur, quæ melancholica ex morbo facta, post partum, quem inscia ediderat, per annum integrum nihil aliud, quam morsiculam panis sicci singulis interdum diebus, interdum alternis assumebat, ac tandem, quæ habitior prius pugilis instar erat, exucca, sceletio pelle obducto, quàm homini similior, lecto affixa lethaliter decubebat. Similia exempla videas licet ap. *Schenckium, Donatum, Joubertum* & alios. Sed mirandum, quod de puella Confolentanea narrat *Citesius*, quæ, quadriennio servans jejunium, solo abdomine exaruit & contabuit, ac nihilo secius domesticis negotiis, huic sexui convenientibus, perfuncta fuit.

27. Potius etiam ratio habenda est, qui si nimius fuerit, calorem nativum obruit & suffocat: Si nullus fuerit, tot malis mulctat corpus, quot utilitates alias à *Sennerto* descriptas præstaret: hinc male sibi consulunt, sobriè admodum in pastu bibentes: pessimè; nihil omnino sorbillantes. Si frigida quoque hauriatur corpore præter modum excalefacto, damnosissimum est & calor naturalis suffocatur, juxta *Celsum*. Subitanam mortem inde secutam observavit *Lutetius Foesius* annot. in 6. *Epid. f. 8.* ac *Galenus l. de Mar.* ait: *Immoderatus frigidorum usus, & non congruum tempus, vel ambo simul, affectum excitare possunt.*

28. Remota hæc est sanguinis materia, quæ ut proxima fiat variis elaborationibus, coctionibus, mutationibusq; indiget. Primò in ore, dentium ope, velut in molendina, comminutus, quod properanter fieri vetat *Avicen. Cant. part. 2.* & ita nonnihil alteratus, ut idem habet *i. primi. doct. 4* in ventriculum per gulam descendit, ubi maximam suscipit mutationem & in chylum vertitur. Hic sæpè morbus est, qui tabem universi corporis & gignit & fovet scribit *Solenardus*, cui assentitur *Forestus*; nilq; magis maciem totius efficit post Cor, quàm ventriculus, asserit *Galenus 8. meth.* Hujus igitur coctio si malè administratur, mille nocu-  
menta



menta in corpus redundant: ubi causa quandoq; in objecto seu  
cibis, tam crassis & coctu rebellibus, quam non debito modo as-  
sumtis hæret; sæpius in ipso organo latitat, ejusque calor po-  
tissimum, quo omnis coctio in corpore perficitur, accusandus:  
qui debilitatur ob frigiditatem ventriculi ortam vel ex intem-  
perie frigidâ propriâ, vel ex partium calorem contribuentium  
læsione, ut enim ventriculus ritè concoquat, opus habet juxta  
*Avicennam l. c. calore membrorum quæ ipsum circundant; à dextrâ*  
*Hepar, à sinistrâ Lien, ab anteriore parte Zirbum adipinum, superius*  
*Cor mediante diaphragmate ab eo calefacto*

Tantæ molis erat chylosum condere succum,  
ut ab omni fere viscere mutuaretur calor ad coctionem adeo  
necessariam molendam, unde ille, cui omenti solùm portio  
ob egressum è vulnere apud *Galenum* resecta erat, frigidum pa-  
tiebatur ventriculum, ac fasciatum abdomen gestabat.

29. Hinc oritur Marasmus: uri etiam ex intemperie siccâ, unde 7.  
*meth. Galenus* ait, *siccus & gracilis admodum est redditus propterea,*  
*quod ventriculus ejus ex siccâ intemperie malè concoxerat.* Deficit  
enim in eo succus necessarius ad diluenda edulia, quem ex tu-  
nicis ventriculi derivat & pro summè necessariâ ad coctionem  
materiâ venditat *Back. de Corde.* Intemperies calida, quia ca-  
lorem ventriculi dissipat & corrumpit, frigidorum humorum  
proventum adjuvat, sed & torridum Marasmm producit,  
quando cibos adurit: quod non mirum, quoniam & tunicas  
ventriculi tali fervore veluti igne ustulatas observatum *Pa-*  
*nar. Pentec. i. obs. 20.* Si etiam Ventriculus abscessu laboret, ut  
habet *Piso de colluv. seros.* aut ob aliam ejus angustiam vitiosam  
cibi iterum evomantur, aut irritato ob exculcerationem ven-  
triculo incocta per pylorum in lienteria deturbentur, succo ir-  
rigo defraudatur Cor & successionis jure partes quoque, ac  
marcescunt. Quod perforato aut exelo aliquando ventricu-  
lo accidere videmus. *Sept. Com. de Acr. Aq. & Loc.*

30. Verùm nequaquam satis est elaborari in ventriculo  
chylum, *deferri* ulterius debet ad alias partes, ut in sanguinem  
convertatur. Descendit igitur per gyrosos intestinorum du-  
ctus: non enim venis, quæ ad ventriculum tendunt, distribui-



etur, ut voluit *Galenus*, ipsumq; secutus *Piso*, nec tenuior ejus pars ad lienem per ductus haftenus incognitos amandatur, juxta *Cl. Conringium*, sed omnis pylorum egressus ac choledochum vas, (quod subire chylum malè censuit *Gassendus*) præterlapsus à lacteis venis recipitur, quod si non fiat, materia proxima sanguini generando furripitur, ac Marasmus consequitur. Hoc est quod *Galenus* 10. meth. dicit: *A Jejuno & Colo marasmus fieri*; quoniam scil. vel mucore obsita sunt; qualem *Heurnium* curasse, & pituitâ instar intestini cujusdam tubulatâ exclusâ persanasse legi; vel ulcere infestantur, ut moram chylo excolando non concedant; vel cicatrice magnâ post ulcus grave dysentericum incrustata fuerint, unde aditus ad oscilla lactearum occludatur. Absumitur quoque cibus in intestinis propter vermes ibidem stabulantes. *Zacut. Obs. 133.* ac maximè *lumbrium* latum, *qui enim eo laborant, eorum corpus emaciatur & imbecillum redditur*, inquit *Sennertus*, 3. prax.

31. Dato autem ingressu in vasa lactea, in progressu impediri multifariam potest: à crassis succis illa infarcientibus, à mesenterio scirrroso & tumoribus confito, juxta *Spig. de hum. corp. fabr. l. 6.* cujus præclaram historiam legas licet apud *Fabric. Hild. 1. Cent. Obs. 70.* à Pancreate, quod lacteis, per quas chylus transire debet, insternitur, simili modo affecto, uti de Pancreate lapidoso recenset *Panar. Pentec. 1. obs. 44.* tametsi vomitio quoque semicoctorum malum auxerit. Hic autem inter Doctores nostri seculi contentio oritur, quò ulterius tendat chylus & an ad Hepar Corvæ commeet? Nos exercitii gratia Recentiorum sententiam proponemus, & excutiendam disceptationi exponemus. Simile itaq; obstructionis impedimentum oritur, si in vertebrae metaphreni nascantur calli, aliive tumores gignantur, vel eadem luxentur, ita censente *Th. Bartholino Celebrissimo*, mihi nunquam sine honoris præfatione nominando in *Histor. Anat. de Lact. Thor. c. 14.* ac præcipuè in *λογδῶσαι*, quod suboluit *Riolano* in responsione ad *Pecquestum*, ejusque historiam habet modò laudatus *Hildanus*, quamvis & in illo decumbente frustra vertebrarum pulmonibus infixæ ad maturandam contabescentiam plurimum juverint. Hoc quotidianâ constat



constat experiētiā; gibbosos ferè tenui corporis habitu esse præditos, nec satis augeri, quod à malâ nutritione provenit, cuius causa quoque in depravationem hujus canalis commodè rejicitur, dum vel nimis tenditur, vel coarctatur, vel comprimitur, vel alio modo læditur. Hic quoque canalis si à torrido Cordis aortæque, quibus subjacet, calore exiccatur, alimenta difficulter transmittit: hinc fieri arbitror, quod febres ardentes tam faciliè in marasmodos transeant, & corpora, remittente quantumvis febre, agerrimè reficiantur. Tenuissima est membranula canalis hujus, exiccationi apprimè obnoxia, cum ossibus adhærens paucâ investiat pingvedine, & idcirco non ita faciliè iterum humectatur.

32. Hæc conductus ad Cor chylus ad mentem Neoteri-  
corum in sanguinem excoqui debet, cujus vitia suprâ satis exposuimus. Non solum autem Cor sed & alia corporis viscera ad sanguinis generationem suam contribuere symbolum existimant. *Nam eam non ab una parte s. instrumento, sed à pluribus perfici* scribit *Backius l. de Corde.* & viscera mutuam navare operam & in unum finem, sanguinem nim; & conficiendi & perficiendi, conspirare tradit *Cl. Mæbins de us. lienis.* Ista ergo si suo officio sinistrè fungantur, pravum producunt sanguinem, eorumq; læsio in Marasmo non flocci facienda. *Hepar nobile* illud viscus *Galenî* ac ob sangvificationem tantoperè celebratum, dum sanguinem ex intestinis refluxum non rectè alterat, (non tamen per easdem portæ venas cum sanguine chylum ad hepar deferri largior *Harveo de gen. anim.* aut *Riolano*, qui lacteas pro propaginibus venæ portæ falsò reputat) ac bilem non separat; aut frigidius, non satis ventriculum fovet; aut calidius, eundem torret, ejusq; calorem dissipat; aut obstructum, sanguini transitum negat, ad Marasum faciliè hominem deducet. *Vide Jacot. Comm. in Coac. l. 6. s. 2.*

33. Lien si fermentum acidum, non quidem ad ventriculi coctionem; sed totius massæ sangvineæ, censente *Kypero in Inst.* tam in hepate, quàm ipso corde fermentationem, non probè suppeditet, sanguis crassior redditur, atq; obstructions, foecundos Marasmi parentes, suscitatur. Nec hinc excludendi

*pulmo*



*pulmones*, quæ primas in hoc negotio attribuit *Backius*, ob quorum excedentem caliditatem vel exulcerationem Cordis calorem depasci, & hinc hecticas Marasmodos & *Φθίσεις* horrendas procedere, siccoq; & calido pulmonum intemperamento succedere, uti loquitur *Galenus*, meridiano sole clariùs est. Renibus etiã affectis ac exulceratis Tabem nasci ex *Hipp. de intern. affect.* discimus: putrida enim continuò exhalantia *μιασματα* lentam procreant febrem, Cordis calidum debilitantem, atque hâc ratione, sicut etiam dum falsum excrementum à sanguine non secernunt, Marcorem inducunt.

34. Quæ pariter vitia ad secundum genus causarum remotarum, quæ sanguinem *depravant*, referri possunt. Sed his omnibus valentior & frequentior est *calida* totius *intemperies*, in febribus præcipuè conspicua, ubi calor iste vehementior non solum nutrimentũ corporis absumit, sed etiã igneam imprimens qualitatẽ corrumpit, biliosoq; succo contaminat. Sunt & alia plurima, quæ sanguinem inquinantia nutritioni totius incommodant: Si nimirum *excrementa* non separantur, vel in intestinis, vel in aliis visceribus huic negotio à naturâ destinatis, vel in habitu corporis, vel sanguis ab aliâ qualitate pravâ contaminetur. Salsis humoribus & inde natis destillationibus magnam vim esse ad consumptionem totius corporis tradit rectè *Ballon. l. 1. Conf.* Siccandi enim facultate magis quam alii humores corporis pollent: atque hinc Salem turgentem causam esse Tabis hecticæ cum Chymicis statuit *Fab. Panchym. vol. 4. l. 4.*

35. Contaminatio sanguinis præ cæteris in *Scorbuto* manifesta est, ubi interdum corpus ita emaciatur, ut vix cute & ossibus hæreat, scribit *Sennertus tr. de Scorb.* Nec minus in morbo *Neapolitano*. Hoc enim affectu conflictantes ac diutiùs pressos, exuccos tandem & marcidos impuram animam efflare observamus. Eleganter hâc de re *Mercatus in Conf. Gallica*, affectio hoc secum habet conjunctum, ut in Marcorem laborantes deducæ



*Ducat, quoniam partes corporis omnino respuunt alimentum illud Gallicum poris immersum, & ob id cum eo non alantur, & aliud non suscipiant, quia omnes humores eodem vitio sunt infecti, necessario consumto humido arescunt & consumuntur.*

36. Tandem sanguine vitale principium privant, quæ elaboratum absumunt, ut in sufficienti copiâ partibus tribui nequeat. In incalescentia corporis nimia id evenire jam ante diximus. Multo magis id præstant manifestæ ac copiosiores utilium succorum evacuationes. Si plus prodeat humoris, quàm de cibis ac potibus accessit, homo attenuatur, ait *Hipp. l. 4. de morb.* Ejus generis sunt, largæ profusiones sanguinis, tam per nares, vel hæmorrhoides, quàm per alias partes, quæ cum periculo mortis contingunt in aneurismatis crepantibus; observavit Medicus maximi nominis *Petrus à Castro* in puella, intra diei spacium aneurismate rupto carnes consumi, ipsam gracilescere, lividam & cadaverosam fieri, cum esset benè carnosâ & rosei coloris. Huc pertinet copiosa seminis profusio seu *Venus nimia*, à qua *Tabes dorsalis Hippocratis* ortum ducit, quâ 2. de morb. νεογὰμυς καὶ Φιλολόγυς divexari scribit, & eandem habet causam cum *Tabes Satyri* in *Thaso* de quo 6. *Epid. s. 8.*

37. Vocat autem tabem dorsalem, quia ejuserat opinio, uti legere est, l. de genit: *Semen genitale per spinalem medullam à capite ad testes descendere*; hinc colligitur, frequenti repetitione exiccare illam, totumq; corpus marcescere; quod quidem lascivis, quos ex surarum macilentia agnosces, & recens nuptis familiare est, sed an ob exiccationem spinalis medullæ fiat; non ita clarum est. Potius cum *Pet. Sal. Divers. in Com.* in l. de morbis dicerem: *languorem & enervationem s. Tabem istam succedere ob spirituum resolutionem & ob alimenti utilis, cujus opulentia corpus defraudatur, surreptionem*, & idcirco ante tempus senescit, de quo *Lycoris* conqueritur, dum de *Amasia* sua in hunc modum canit;

*Jamq; alios juvenes, aliasq; requirit Amores,  
Me vocat imbellem decrepitumq; senem.*



*Nec meminisse volet transacta dulcia vita,  
Nec quod me potius reddidit illa senem.*

*Hesiodus* igitur matrimonio abstinere jubet eos, qui senescere cupiunt, quod uxor absq; titione urat virum quantumvis fortem, *crudaq; tradat senectuti*, uti asserit l. 2. *ἔργ. καὶ ἡμερ.*

38. Solam hanc enumeratam Tabem pro dorsali Tabem *Hipp.* accipit *Mercurialis*, sed alias quoq; reperire est in aliis ejus libris, licet non nominatim eas expresserit. l. de intern. aff. Tabis meminit, quando spinalis medulla sanguine repletur, vel quando exiccatur ob denegatum affluxum sanguinis propter venas obstructas. l. de loc. in hom. quando propter destillationem in eam decumbentem marcescit, de qua & l. de gland. *ὡς φθίσιν ποιεῖ καὶ μαρμαίνεται ὁ ἀνθρώπος* & ὡς καὶ ὡς καὶ ζῶειν σὺν ἐθέλει, quare autem totus hinc marcescat homo, non ita facile dictu est, nisi statuas cum *Glissonio in Anat. hep.* humiditatem quandam alibilem in partes ad conservationem earum per nervos influere, quod tamen solidissime refutavit *Magnus Apollinis Mystra Bartholinus in Spicil. ex vas. lymph.* Aut cum *Pisone* per spinam à capite serum descendere dicas, humectandis instrumentis in corpore, quæ irrotatione perpetua egent, tanquam siccitatis ab assiduis motibus imminentis, remedio.

39. Verisimile mihi videtur Tabem dorsalem ideo dici, non quod læsio spinalis medullæ causa sit *Marasmi* totius, sed quod cum ea reliquæ partes, præprimis si à destillatione fiat, simul afficiantur, (quam in rem scitè *Cl. Barthol. l. c.* *Emaciantur subinde in paralyti partes, non vitio nervorum, sed à frigida intemperie*.) Noxa autem percipiatur potissimum in spina, & dolor ibidem per sentiatur, quod insinuassee videtur *Divinus Senex l. de loc. in hom.* unde denominationem fortè ipsi tribuit, sicut 4. *Coac. & 6. aph. 60.* pariter *φθίσιν ἰχθυαδιν* *ὡς* nuncupat, quæ marcoris initium inde accepit, uti explicat *Viscerus.*

40. Sed revertamur ad excretionem. *Diabetes* etiam interdum causa *Marasmi* evadit, cum plurima fuerit poti liquoris egestio atq; corporis subinde per dies singulos extenuatio, uti loquitur *Aurelianus χερνίκων l. 3.* *Hypercatharsis* idem præstat: violentum enim medicamentum primò quidem humores deturbat, sed



sed tandem etiam sanguinem ex Hipp. 1. de nat. hom. unde necessario corpus subito contabescit. quod vidit Celeb. Petrus à Castro in nobili foemina, cui imperitus Medicus Elaterii veteris grana decem propinaverat, quæ vix intra annum vires & habitum recepit. Similis evacuatio est, quando in exulcerationibus articulorum s. Meliceria acri unctuosus humor, juncturis illinendis destinatus, copiosius effluerit, unde non solum partis extenuatio, sed & totius Marcor difficilimus oritur; quod annotavit Guil. Fabr. Hild. 1. de Ichor.

41. Sanguinem denique & spiritus absumunt vigilie & exercitia μάλλον τὸ μετέρι γινόμενα corpusque ac Cor ipsum exiccant. Hipp. 4. de morb. Non tamen quies nimis laudanda, quæ calorem obtundit, & excrementorum retentione suffocat. Eleganter Cous Senex: Si quis iis, quæ in corpore ad usum facta sunt, non utatur, sed quiescat, morbosiora fiunt, & non augentur, sed citò consenescent 1. de Artic. & quiete corpora effœminari ἐκθηλύνεσθαι scribit, quam vocem Galenus explicat πρὸς τῆς ἀδυνείας τῆς συνἀτροφίας τῶν σκελῶν ὅλων γινομένης Com. in 6. Epid. s. 1. Ac tantum de Causis.

42. Gravissimus hic affectus vitæ castrum obsidens, illudque, robore ex aliis morbis fracto, ut plurimum invadens, funesti certe eventus timorem nobis injicit, ac tantò magis, quòd Artis Principes Galenus, Avicennas, Trallianus, aliique pro deplorato eum habuerint, ac Marasimum consummatum insanabilem pronuntiaverint: quoniam solidæ corporis partes, secundum Gal. Art. med. c. 59. nullo modo possunt effici humidiores. Spe tamen aliquâ adhuc nos erigit Galenus, qui s. met. med. sanari eum posse, qui etiamnum fit, profitetur: Igitur instanti Morbo suâ prudentiâ obviam eat Medicus, ad præceptum Dictatoris 1. de nat. hom. & hortatu Actuarii curando præveniat, antequam solida occupet, & omnia auxilia superciliosè spernat. Hoc ut prudenter efficiat, tam præteritum, quàm præsentem ægri statum accuratâ diligentiam evolvat.

43. Si enim æger naturali temperie ad siccitatem inclinat, si habitu corporis rarò & facilè perspirabili est præditus, si πηγυγώδης est ex Hipp. 1. Epid. aut habeat ὠμοπλατάς ὅλας



*ἐν φανείᾳ ὄντως πλεονέχων*, ut dicit *Arctaeus*, magnam in *Marcorem* proclivitatem habet. De quo eleganter *M. Tullius*, *Erat eo tempore in nobis summa gracilitas atq; infirmitas corporis, procerum & tenue collum, qvi habitus & qvæ figura non procul abesse à vite periculo putatur.* Si gravi idem aliquo morbo, qvi præcipuè Cor infestat, laborat diutiùs, periculum est maximum, ne diuturnitate morbi fractæ Cordis vires contabescant, totiusq; corporis extenuationem secum trahant: *Talis enim imbecillitas ac virium infirmitas sola sufficit ad totius emaciationem*, teste *Galeno Com. 2. aph. 28.* Si pariter copiosa aliqua præcessit evacuatio, qvæ benignum succum corpori subtrahit, de qvibus suprà proluxius actum, nec corpus ab alimentis reficiatur, metus est, ne corpori inducta *Tabes* sub extremâ *Marasmi* macie furat, uti *Helmontio* loqui placet.

44. *Hæc & similia si præcesserint, perpendenda est ægri præsens conditio, præsentiaq; signa sunt examinanda.* Sed quoniam *Marasmus* alius est torridus, alius frigidus, distincta utiq; habebit signa *diagnostica.* *Torridus* individuus comes *hæticæ*, qvæ tertium & summum ferè attigit gradum, ac parum ab eâ ex mente *Avicennæ, Aeginetæ, Gorrei*, diversus, similia agnoscet ferè signa, qvæ breviter ex *Tralliano* translata hic anneximus: *Color floridus perit, & squalidus ob immodicum apparet calorem. Cutis frontis riget & tenditur. Palpebræ difficulter aperiuntur velut dormientibus ob debilitatem. Lemæ oculorum sicciore, Hypochondria tensa. Pulsus duri, parvi, crebri, debiles & graciles, ταῦτα, inquit, ἐναργῶς συνίστησι ἡμῖν τὸν παρρησµωδὴ πυρετὸν.* Eadem iisdem propemodum verbis proponunt *Serapio, Aegineta, Isaacus & alii.* Si autem depositâ caliditate in frigidum transeat *Marasmi* seqq. signis patefiet, qvorum plurima collegit *Montagn. Conf. 263.*

45. Primum & commune est totius corporis insignis concidentia. 2dum. Hinc subsequens cutis instratæ contractio & corrugatio: corporis enim labentis est rugositas. *Hipp. 6. Ep.* qvæ corio similis fit *Trincav. & aspera Merc. l. 3. Conf.* ejusq; color depravatur & in plumbeum vertitur. *Epiph. Ferdin.* unde & ungues quandoq; denigrantur, sicut aliàs fieri solet, in frigidâ aëris consti-



constitutione Id. 3um. *Hypochondria collapsa sunt & inania*, ut, dicente *Aegineta*, si ventrem inspexeris denudatum, neq; intestinum neq; visus ullum superesse tibi videatur: qualem depingit *Confolentaneam* puellam *Citesius*: quod accidit, quia partes nutritioni famulantes exhaustæ & aridæ subsidunt. 4um. *Mucronata cartilaginis exiccatio & corrugatio*: quam rectè *Merc. l. 4.* Conf pro signo habet, pro causa agnoscere renuit.

46. 5um. *Corpus ad tactum percipitur frigidius*. *Avicenn.* Fons enim caloris exiccatus calorem torridum partibus elargiri nequit. *Refrigeratio autem si ita violenta fuerit, ut tota omnino refrigerentur corpora indurescantq; signum extinctionis existit*, ait *Galen. 2. Prorrh.* κατὰ ψυχρὸν ὅ μὲν σκληροῦς ὁλέθριον. *Hipp. 1. Coac.* 6um. *Pulsus parvi, debiles, rari, tardi & duri*. Debiles & parvi, ob facultatis imbecillitatem, caloremq; nativum debilem: rari & tardi, ob usum imminutum: duri, ob instrumenti siccitatem. 7um. Eandem ob causam *Respiratio rara, tarda, ac parva* erit; neq; enim Cor refrigeratum multum ventilari desiderat. 8um. *Urina erunt pauca, renues & aquosæ*. Pauca ob humiditatis ferossæ defectum: non tamen urinæ copiosè prodentes pro bono signo venditadæ: nam & sola ejusmodi profusio, qualis in diabete proruit, hominem ad Tabem & mortem tandem deducit *Senn. l. 3. prax.* Tenuis & aquosæ sunt, ob caloris defectum, qui alias & excrementa corporis ad debitam reducit consistentiam. Albas, crassas, & pingves phthisin significare, habetur in regulis urochromocriticis, quas ex Arabico transtulit *Kircherus*.

47. Hujusmodi signa in corpore præsentia, præsentem Marasimum clarè indicant, quæ leviora, eum adhuc in incunabulis latere, loquuntur; cui propediem sedulâ curâ occurrendum, antequam vel *singultus*, quem exitialem hic pronunciat *Epiph. Ferdin.* superveniat, aut rigores frequentiores oboriantur, hoc enim lethale *Hipp. l. 6 Coac. s. 2.* aut consummati marcoris signum *facies Hippocratica* accedat, siquidem nulla spes evasionis restabit ampliùs.

48. *Causarum* signa, quæ brevitatis gratia omitto, ex eorum capitibus repetenda sunt, ac exinde colligendum, quantum fuerit



fuerit à natura recessus, quæve in quovis corpore prius amoven-  
dæ, quàm ipsius Marasmi sanationem aggredi possis. Unde  
etiam conjicies an sanabilis vel insanabilis sit marasmus, mo-  
nente *Galeno*. Quà ratione autem id effectum reddi debeat,  
paucorum foliorum spatium comprehendere vix possibile: brevi-  
ter ideò ea delibasse, ac paucis indiguisse, in præsentis satis mihi  
erit. Plura ex Autoribus, qui horum affectuum naturas tradide-  
runt, repetantur.

49. Indicationes ergò præservatorias primo expediamus:  
ideoq; si *defectus ciborum* causa fuerit, debitâ quantitate offeran-  
tur: Si *Ventriculi intemperies* Marasum induxerit, cum ea,  
quæ infra proponuntur, adhibeantur: (*Eadem enim & ventriculi  
& totius siccitati medentur, secundum Galenum:*) ùm ventriculo  
specifica administrentur; laudat suum *Specifi. um stomachicum*  
*Poterius*, quo se Medicum Marcore consumtum & à Medicis de-  
relictum sanasse refert *Cent. 3. obs. 82.* *Montanus* hoc unguentum  
valdè commendat, quod & it. Ol. amygd. d. in quo caryoph.  
cocti ℥ij Med. crur. vit. ℥j. Mast. ℥j. Si à *lentis humoribus*, qui  
intestina obduxerunt, oritur, detergentibus utendum. Si à *cica-  
trice magnâ*, post dysenteriam gravem relictâ, vix curationem  
admittet. Si à *vermibus*, Castorei ℥j cum lacte exhibet *Zacutus*  
tanquam probatissimum remedium.

50. Si ab *obstructionibus* in venis lacteis, mesenterio vel  
pancreate, aperientibus agendum. Præstantes sunt *Pilule ape-  
rientes Kyperi* quæ & unt Gum. amm. ℥ss. Magist. ♂. Mag. ♂.  
♂ati, Aloes succ. aa ℥j. & dantur ad ℥j. It. *Pilulæ ♀ reæ*  
*Bontii*. Nec minoris virtutis est *Spiritus Acidularum* ex ⊕ ⊕ &  
♂te compositus vel Acidulæ artificiales, aut *Crocus ♂ aperiens*  
*cum succis*. vel. *Essentia ♂. liquida*, sed cautè & humectantibus  
castigata hæc adhibenda, ne siccitate suâ noceant. Si à *resic-  
catione ductus lactei*, res est solliciti plena timoris, nec non iis,  
quæ universum humectant corpus, tollitur. Si *aliqua pars*  
*corporis v. g. hepar, lien, renes &c. principaliter patiatur*, oportet,  
dictitante *Aureliano*, congrua eidem morbo localia adhibere  
remedia, ac hoc pacto, contraria administrando, in reliquis et-  
iam affectibus procedendum erit.



51. Inprimis autem Cordi, utpote in quo causa potissima & quæ maximâ agendi virtute instructa est latitat, prospiciendum erit: Cujus morbi supra *lib. 18. & seqq.* ordinata serie enarrati, avertendi: Intemperiei calidæ medelam suppeditabunt libri de febribus à tot Autoribus conscripti, ut in tanta ubertate ferè inops hæreas, sed præstabit; qui cæteros in compendium & ordinem redegit, *Sennertus*. Pro intemperie frigida infra medicinas proponemus, uti pariter ad siccitatem conterperandam. Venenorum vim infringent alexipharmaca, ac philtiri præcipuè *Ludus Paracelsi* s. Calculus humanus, experientiâ *Henr. ab Heer in Obs. Spadanis*. Tumores cordis, ut difficilimam cognitionem, ita haud facilem curationem habent. Ulcera verò ejusdem insanabilia censeo omnino. Tandem ad curationem progredientes Indicationem illius ex humidi in partibus inopiâ seu necessario illam comitante subsidentiâ & imminutione petitam adimplere conabimur, *Vitali*, quippe quæ iisdem absolvitur in hoc affectu remediis insimul satisfacturi.

52. Triplici quidem utitur Medicus auxilio ad profligandum è corpore morborum catervam, in præsentem autem Casu *Dietetica* primariam pollicetur opem. Nam quia Marasmus senium ex Morbo est, si nondum absolutum est, inquit *Galenus*, sed propè siens, resumptionem unicum curationis institutum habet, quam & refectionem appellamus, & hæc corporum ariditas optimè alimentis reparatur. Chirurgia enim hic parum commodi afferet, nam venarum incisio & quævis sanguinis extractio meritò exulat; quamvis in macris eam quandoque admittere videatur *Ballon. 2. Epid. & Eph.* ductus absq; dubio exemplo *Hippocratis*, qui *5. Epid. Virum in Oeneade*, cujus corpus contabescebat, nec ab alimentis reficiebatur, sectâ per vices salvatellâ utrâq; liberavit: quod in secunda Tabis dorsalis specie fortè imitari possemus. Nec *curbitula* ex usu erunt, interiora enim prius humectari ac refocillari debent, quam ad exteriora alimentum sanguinemq; attrahamus, quâ de causâ & dropaces, sinapismos, ligaturas dolorificas, ac frictiones à principio repudiamus, quæ alioquin in partis privatæ marcore promptissimè succurrunt. *Picatione* tamen se Tabidum sanasse refert *Zac. Prax. adm.*



53. In diætæ ergò regimine nostram locatam habebimus fiduciam, quam ægro observandam proponemus, uti imbecillo corpusculo proficuum censuerimus.

54. In assumendis primò sese offert *Aër*, cujus excessus omnes sedulo arcendi, præcipuè inæqualitates, quales in Autumno contingunt, unde *Hipp. 6. Epid. s. 7. Autumnum tabidis malum* pronunciat, & plures tabidos Autumno, quàm vere, mori tradit *Epiph. Ferdin. Temperatus* ergò quærendus, qui arte parandus, si naturâ talis non fuerit: *Siccitas* scilicet, transvatione aquæ aut pavimenti conspersione: *frigiditas* accensione foci emendanda.

55. Secundum locum tenent *cibaria*: quæ ægri vires resarcire calidumq; instaurare debent, quorum *conditiones* affert *Jacobus Pons in Canon.* inqviens. 1. *Cibus sit facilis digestionis, quia calor debilis.* 2. *Sit multi nutrimenti, quia extenuati.* 3. *Sit subtilis & penetrabilis substantie, quia via, per quas ferri debent, sunt angustæ propter extenuationem.* Danda itaq; sunt edulia, πολύτερρα moderatâ quantitate: πλησμονή γὰρ μάλλον τῆς φύσεως ὥν ἀγαθὴ *Hipp. 2. aph. 4.* & fluida potius quàm solida: quia faciliùs refici potu s. potulentis 2. *aph. ii.* & extenuatos citius liquida ob distributionis facilitatem, quàm solida recreant juxta *Plempium*. Igitur *carnes* à principio locum non inveniunt, sed eorum, iuscula consummata, ut vocant, parata è pulpâ caponum, gallinarum, perdicum, carne vitulinâ, coctâ in duplici vase ad putrilaginem & expressâ, quæ præstantiora evadent alterata humectantibus, betâ, borragine, endiviâ, ac cor roborantibus & calefacientibus aromatis, Cinnamomo & similibus.

56. *Testudinum* carnes commendat *Heurnius l. de morb. pecc. Cochlearum* carnes laudant alii:

*Inritas vino cochleas hausisse juvabit,*

*Q. Seren.* scribit. Sed iusculum illorum potiùs tabidis prodesse existimat *Merc. Sennertus* autem partem illam, quam *Arist. μήκωνα* appellat, ex usu esse censet; quod tamen pernegat *Silvaticus*, & mihi etiam alia edulia melioris notæ magis ad palatum essent, Crudarum *ostrearum* esu sceminam *Marcore* confectam

restitutus



restitutam sanitati apud *Tulpium in Obs.* legimus: fortè quia lacteo-  
rum oscilla, lentis humoribus referta, succo illo saluginoso, qui in  
ostreis continetur, ab infarctu liberata fuerunt. *Angvillas* visciditate  
Salem turgentem hecticorum probè refrænare existimat *Faber in*  
*Panch.* *Avicennas* autem cibos rectè reprobat, in quibus est viscositas,  
levi enim negotiò obstructions pariunt.

57. *Panarella* quoque Italorum, è jure carnis, pane triticeo tosto  
comminutoque ac vitello ovi composita, multùm probantur, ut &  
*Pisana* hordeacea; pulmenta quoque ex amygdalis pineisve, aut quæ  
vulgò confici solent amygdalata. Neonymphis, quibus *Tabes dor-*  
*falis* imminet, gratissimum erit ferculum, quod illis parat *Zac. Lusit.*  
ex vitellis ovorum lento igne calefactis, asperso pauxillo vini &  
momento sacchari. In horum autem exhibitione probè notandum  
essatum *Hipp. 2. aph. 7.* τὰ ἐν πολλῷ χρεῖν λεπιδόρμα σώματα νωθρῶς  
ἰπανάτρεφειν δεῖ: τὰ δ' ἐν ὀλίγῳ ὀλίγως, ne ægrum ciborum copiâ  
suffocemus.

58. Potus, qui in marasmo torrido cibum, monente *Plempidō*,  
præcedere debet commodissimus juxta *Galen.* vinum erit, non vino-  
sum, quod siccandi vi nimis noxium, sed ὀλιγοφόρον, quod spiritus  
& calorem fovet, promptè ad Cor penetrat, aqueâ humiditate squa-  
lorem temperat, nec crassitie suâ poros & meatus corporis obturat.  
Tantò autem melius siccitatem infringet si adjiciantur Tincturæ  
violarum, borraginis aut similes. Falsò *Merc. l. 3. Conf.* affingit *Galenus*  
ac si penitus vinum improbasset, qui tamen *l. de Mar.* frigido Mar-  
core & syncoposo laborantibus utilissimum esse asserit. Ejus vices  
supplebit *lac*, convenientissimum naturæ alimentum & ἀρμόζον  
τοῖς φθινώδεσι καὶ ὡρῇ λόγον ἐκτετηκόσι dicente *Hipp. 5. Aphor. 64.*  
præcipuè muliebri ex ipsa mamma exuctum, quod *Herodoto* magis  
arrisite; ejus usu aliquot restitutos se vidisse testatur *Platerus*, ex iis-  
que unum non solum convaluisse, sed etiam tantas vires recepisse,  
ut ne lac sibi imposterum deficeret, nutriticè de novo imprægnârit,  
scribit *River. in praxi.* Qui autem tale ceu pueris exhiberi sibi recu-  
sant, utique ceu asinis asininum dare ipsis convenit, ut *Galen*i verbis  
uti liceat. Quæ verò in lacte sumendo conditiones observandæ  
persequitur *Solen. 1. Conf. 8. Sept. in Anim. l. 6. Jul. Cæs. Claud. App. de*  
*ing. ad inf. s. 8.* Pauperculis aqua etiam saccharata propinabitur, aut  
mulla, nisi febris obstet.



59. Ea quæ geruntur velut in compendio docuit *Epiph. Ferd.* ajens: Inter cætera quod, quæ maximè maciem arcent, sunt somnus longus, gaudium, lætitia, quies: è contra, cure, sollicitudo, anxietas, & nimia Venus corpora siccant. Leve aliquod exercitium admittit *Trinc. l. 3. Conf.* quod calorem nativum exciter, quod commodè sub umbra mali institueretur: Nam Melapiorum umbras ob gratam humiditatem Tabidis perutiles tradit *Columella.* *Galenus* nec incedere ægros permittebat, sed super linteis in balneum inferebat, ne si ipse, inquit, se moveret, tùm siccaretur, tùm anteqvam commodū esset, exolveretur. Somno etiam longiori indulgendum: per somnum enim, ait *Septalius*, vires instaurabimus, & corpus siccatum humectabimus, & coctionem in ventriculo accelerabimus. Animi motus, ut vulgò audiunt, vel potius motus corporei affectus animi comitantes, dicente *des Cartes*, omnes nocent corpori, si valdè violenti sunt, idcirco vitandi, aut ad moderamentū reducendi, lætitiaq; mediocris semper, quantum possibile, fovenda, ac spe optimā nutriendus eger. Veneri ipsis interdiceret supervacaneum erit, cum absq; dubio semper langveat fascinū.

60. Extrinsecus occurrunt post aërem, de quo suprà sufficienter actum, Balnea & lotiones, quæ propter actualement humiditatem insigni virtute desperatis ægri rebus subveniunt, & ea propter studiosissimè à *Galeno 7. 10. & 11. method.* pertractantur, qui tamen lavandi modus *Priscorum*, uti eum describit *Cæl. Rhodig.* nostrâ ætate exolevit penitus. Deportari autem debet æger super sindone in solium aquæ dulcis temperatæ, & modo elevando modo demergendo in aquâ tamdiu blandè dimoveri, donec color cutis rubescat, juxta *Trincav.* vel intumescat, ad mentem *Zacut. Lusit. & Const. Afric.* Ut autem frigida postea immergatur, cum laudato *Lusitano* dissvadeo; potius linteis mollibus ac spongiis calētib; lenissimè deterfus, ad grabatulum referatur, & linimentis resumptivis delibutus, postquam per horam quievit, cibetur.

61. Excretiones deniq; utritè procedant, procurandum; ideoq; alvus segnior ex naturâ morbi clystere blandè humectante sollicitanda, non pharmacis irritanda, ne profluvium aliquod ob naturæ infirmitatem oboriatur: quod lethale in tabidis declaravit *Hippocrat.*

62. Pharmaceutica etiam auxilia solatio erunt decumbentibus, quibus potissimum Cordis virtus ad obfistendum infensi hostis machinationibus adaugetur. Evacuantes autem cujuscunq; generis



vix aut certè summā circumspicientiā adhibitā usurpanda: nec n. tabidis alvus temerè movenda, ex *Heurnio*, nec purgantia membris exiccatis conveniūt, ex *Mercuriali*, ideoq; medicina munus τῆς ψευδ-  
θεσεως potius, quàm ἀφαιρέσεως exerceat, & Medicus de confor-  
tando & alterando magis sollicitus sit, nec audiat *Poterium*, malè re-  
frigerando humectando, &c. mederi, absq; fundamēto clamitantē.  
Qva in parte inservient ei varia medicamenta simplicia & compo-  
sita, Intrinsecus & extrinsecus administrata, cordi inprimis dicata  
& temperie suā moderatā gratissima, quorum Catalogum videas  
apud Autores *Senn. Morell. Gruling. Macas.*

63. Pauca in scenam producemus ex immenso illorum numero  
longo usu approbata, Sed mirari prius subit, qvī ille apud *Panaro-  
lam Pentec. 2. Obs. 36.* devorato citrio malo quatuor libras pendente,  
qvod sanus conficere vix potuisset, convaluerit. Cor recreare ac ro-  
borare mala citria ab omnibus cōceditur, sed nec *Dodoneo* negatur,  
carnem eorum albam, qvā ista prægrandia mala abundant, ut patet  
ex *Ferr. Hesper.* difficilimè concoqui: sed qvomodo debilis emaciati  
ventriculus hoc digessit? An in hoc verificatur illud *Gal. comm. 2.*  
*apb. 38.* qvalibenter & magnā cum voluptate assumimus, ea arētius com-  
plectitur, omniq; ex parte appressus concludit & retinet ventriculus, atq;  
multò facilius concoquit? An fortè assuetus erat comestioni citro-  
malorum? nam ταῦτα πολλὰ χροὺς σωθήσεται, καὶ ἡ χεῖρ, ἥσων ἐνοχλεῖν  
εἴωθε, ex *Hippocrate*. An maligna qvædam qualitas malo ortū dedit,  
cui adversantur mala medica secundū *Diosc. Gal. Matt.* Ex citriis qvi-  
dem parata, veluti sunt Syrupi, Condita, Essentiæ ac præprimis *Essen-  
tia citri liquida Prævotij* ex toto malo confecta, calculo meo approbo;  
cruda verò ingurgitare, & in tantā quantitate, svafor ero nemini.

64. *Nux Indica* speciatim in hoc affectu probatur, eamq; me-  
dicamentis, qvibus extenuata corpora refocillantur, cum utilitate  
addi tradit *Matthiolus*: *Latior n. inquit, saginā corpus reficit, idcirco stri-  
gosas mulieres mirum in modum impingvat & ad crassitiem reducit;* qvem  
effectum in foemina Veneta comprobatū vidi, qvæ macilentissima  
cum esset, esu & usu solius nucis hujus habitior, torosior ac formo-  
sior evasit. *Specificum stomachicum* suum deprædicat mirè *Poterius*,  
qvod interdum solū cum rosarum conserva porrexit, interdum  
hoc decoctū addidit, qvod & it Lign. sassafr. ʒij. Chin. el. ʒβ. Fol. me-  
lis, pimp, borrag capill. Q. is āa Mj. Fl. viol. Ulv. pass. Anil. āa p. j. li-  
qvif.



qvir. 38 In f. q. brodii Caponis. Nec minori encomio prosequitur  
*Antibeticum* suum.

65. A Minderero petes Pulverem ejus *refectivum* aliūmq; à Myn-  
sichto, Morsulos regios. Rotulas Imperiales vel Cordiales Fernelius suppe-  
ditabit *Ansidotum analepticum*. Aquam pingvescentiam perutilem hau-  
ries ex Hist. Epiph. Ferd. aut è Praxi histor. Zacuti Lusit. Aquam destilla-  
tam sanguinis porcelli ratam habet famigeratissimus Chymiatèr Job.  
Michaelis, nostræ Facultatis Decanus celeberrimus, ut & Aquam ex ostreis  
elicitam. Nec minus probat Aq. contra consumptionem Hartmanni. Li-  
quor Perlarū in confortando omnē absolvet paginā, ut & alia è mar-  
garitis & coralliis cōcinnata, quæ cuncta intrinsecus assumēda erūt.

66. Extrinsecus Cordi aliisq; membris, quæis necessarium vi-  
sum fuerit, adhibebis fomenta corroborantia & humectantia, un-  
guenta, aut, quæ potiora reputat Heurnius, linimenta è medicamen-  
tis appropriatis concinnata. Totum corpus, & spina dorsi potissi-  
mum, illinitur utiliter Unguento resumptivo Fernelij; si Marasmus  
fuerit torridus, sin minus, virtus ejus calefacientibus nonnihil acu-  
enda. De clysteribus infundendis Solenandri placet sententia agen-  
tis: Singulis tribus vel quatuor diebus, (vel etiam sæpius) injici debet cly-  
ster, qui humectet & fæces eluat. Fieri debes is ex jure carniū vel decocto  
bordei, cui dulce oleum vel butyrum vel saccharum admisceatur. In parvā  
autem quantitate immittatur, quò diutius retineatur, nec copiā suā  
naturam ad celerem excretionem sollicitet.

67. Balnea, de quibus & suprā dictum est, fiant ex lacte, svadente Zacuto  
& Tilemanno, vel alterentur herbis aut radicibus aliisq; humectantibus & ro-  
borantibus, quorum descriptioni non amplius immorabimur. Ex quibus gene-  
ratim jam propositis Medicus suā prudentiā decernat, quæ spectatim ægris ex  
usu sint, magisq; arrideant, quā quantitate etiam, quando & quomodo sint u-  
surpanda, talia enim hic definire impossibile prorsus mihi videtur: nam non  
in cibis duntaxat exhibendis, sed in medicamentis quoq; ordinandis observan-  
da est regula ista Hippocratis 1. aph. 17. *δοσὶν δὲ τῇ φύσιν, καὶ τῇ χύμει, καὶ  
τῇ ἡλικίᾳ, καὶ τῇ ὥρᾳ.* Nos verò in hac dissertatione non Petri aut Pauli sed ho-  
minis Marasmo consumpti curationem tradimus.

68. Deniq; mentio quoq; facienda curationis magneticæ, quam tradit  
Hartmannus in praxi Chym. Cocto sc. ovo in urina ægroti ac in formicarum  
acervo sepulto, quod fundamentum suum ex magia naturali rerumque sym-  
pathia petit, nec penitus negligendum secretioris Medicinæ studiosis recte  
cēsetur, tametsi nō semper ejus manifesta reddi ratio possit. Et hæc hac vice suf-  
ficient, reliqua, quæ dici aut disputari de hac materia queunt, ne disputa-  
tionis limites transgrediamur, ipsā conflictui reservamus.

F I N I S.